



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De Sacramento Matrimonij. Rubricae, seu instructiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Vt instructi in primis sint vite spiritalis studijs atque exercitationibus. Noſint ſanctas illas virtutes chriſtianas, quarum officijs ipſi arctius quam laici homines deuinciuntur. Atque illæ quidem ſunt, deuotionis pietatiſque zelus, caſtitas, ſobrietas, pax, charitas, oratio, vſus frequens ſanctiſſimorum ſacramentorum, aliaque multa vite ſpiritalis exercitationes, in quibus perpetuus eſſe debet eccleſiaſtica vite curſus.

Quo diligentius item clericalis diſciplinæ, viteque religioſæ iſtitutis, ij, qui vel ſponte ſe clericali militia adſcribi volunt, vel à parentibus adhuc infantes deſtinantur, imbuantur ſic crebro illos Parochus præmoneat, vt eccleſiam, vel parochialem, vel aliam, quæ ex decretorum prouincialium præſcripto eis aſſignata fuerit, frequenter adeant; functiones, quas clerici in eccleſia obeunt, ceteraque id generis miniſteria ſtudioſe obſeruent, ad rationem functionum, quæ in Concilio Prouinc. primo, & quarto præſcriptæ ſunt: & ex forma, quam Archiepiſcopus in eo genere proponi iuſſerit. item vt eccleſiaſticorum hominum pietate præcellentium conſuetudine vtantur.

Hac ipſa in re valde etiam elucebit Parochi pietas, ſi quamplurimos poteſt pueros, præſertim pauperes bona indole præditos, qui ſpem aſſerant, ſe ſacris initiatos, eccleſiæ miniſtros vtiles fore, ad eccleſiaſtica vite normam accuratè erudiat.

Doctrinis etiam, vt pro ratione ordinis, cui adſcribi volunt, eruditi ſint, curet.

Muſicæ modulationis, quæ firmum canitum vocant, periti, vt ordo poſtulat, in quem volunt cooptari.

Cæremonias ritusque ordinis intelligant, quo initiantur.

Curabit etiam, vt cum ante ſtatam ordinationis diem ad Archiepiſcopum conueniunt, decenti veſtitu clericali induti ſint, & congrua pro ſui ordinis ratione clericali tonſura in vertice inſigniti. Qui verò tonſura nondum initiati ſunt, veſtitum clericalem tantummodo induant ex facultate conceſſa.

Tit. q̄ pert. ad ſacr. ordinis p. 141 Docebit, vt teſtimonia Concilij Pro-

uincialibus, & in primis Concilio quarto præſcripta, aſſerant.

## DE SACRAMENTO Matrimonij.

Rubricæ, ſeu inſtructiones.

Quæ Parochus doceat.

**V**T matrimonium inter fideles ſanctè contrahatur, eò diligentius Parochus curandum eſt, quò grauius aliquando à plerisque peccari ſolet. Habebit igitur ipſe in primis rectè cognita præcepta illa omnia, quæ in matrimonij rectè conſiciendis ſeruari oportere, æcumenica Synodus Tridentina iuſſit: vt illa ipſa omnia accuratiſſimè, inuiolatèque ſeruanda curet.

Dabit etiam operam, vt illius Tridentinæ ſanctionis iuſta præceptaque parochiales ſui teneant. Proindeque ſæpenumero, præſertim verò certis ſtatim Dominicis diebus illam ſanctionem rectè denunciabit, atque a deo explicabit, ad præſcriptum diœceſanæ conſtitutionis.

• Sacramenti autem huius inſtitutionem, vim, naturam, & ſanctitatem, Parochus, aliſve ſacerdos, cui facultas celebrandi matrimonij data, aut permiſſa eſt, ſæpenumero, & vt maximè poteſt accurate, fidelibus ex catechiſmi Romani doctrina explicabit, vt oēs non ſolum perſpicue intelligant, ſed religioſe obſeruent, cuius rei cauſa matrimonium inſtitutum ſit, & quam animi preparationem, pietatemque in eo contrahendo requirat.

In hoc porro tractationis genere Parochus quò ſæpius verſandum eſt, eò ſtudio ſuis rationes colligendæ ſunt, ex ſacris literis, aliſque eccleſiaſticis monimentis depromptæ, atque ex ſanctæ diſciplinæ Chriſtianæ fontibus hauſtæ; quibus potiſſimum hæc tria doceat: primum, quo modo matrimonium ſanctè contrahendum eſt: deinde quo modo in eo caſte, pieque verſandum; tum quo præterea modo in eo bene moriendum.

Docebit igitur, quo animi affectu, & quam ob cauſam fideles matrimonium ineanant. Quo in genere demonſtrabit,

ad il-

ſell. 24. decret. de reſcript. matri-  
monij.

Psal. 19.

ad illud eos non explenda libidinis causa duci oportere, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: neque precipue esseri cupiditate diuitiarum: sed cum proli suscipienda gratia, quae sanctam Catholicam religionem colens, ad celestium praeiorum hereditatem, Christianam vitam praecipis, pieque agendi vsu instituat: cum etiam causa vitanda fornicationis: & ut coniuges alter alterius ope adiuti, vitam incommoda facilius ferre, & senectutis imbecillitatem sustinere queant.

Nec vero vniuersae solum, sed sigillatim speciatimque prout vsu venerit, id officium omni charitate praestare studebit: ut cum de aliquorum matrimonio agitur, eos moneat, quam singularem mentis integritatem, & pietatem adhibeat, cum ad rem non humanam, sed diuinam, hoc est matrimonij sacramentum, aggreantur: addet vero etiam Tobie exemplum ex sacris literis maxime ad hanc rem accommodatum.

Tobia. c. 8.

Simul vero ut fideles quoque intelligant, quibus sacris temporibus, a nuptijs abstinendum sit, ac praeterea in frequentiori orationis studio, quod dierum celebritas, & mysterium postulat, vigilantius incumbendum: ipsarum nuptiarum interdictionem eodem sacro Concilio confirmatam diligenter quoque enunciat: ita scilicet, ut eam demonstraret inchoare a prima Dominica Adventus vsque in diem Epiphaniae; & a Dominica in capite quadragesimae vsque in octavam Paschae inclusiue.

Neque id cohortari pretermittet (quamquam non est necessarium) ut ex imitatione antiquae fidelium pietatis, in statibus Ecclesiae ieiunijs, praesertim solennium quatuor temporum, a nuptiarum celebritate fideles abstinant. Si enim coniuges cum orationi, & ieiunijs vacandum est, Apostolus monet, ab matrimonij vsu abstinere: profecto exquisitum esset, & cum sancta disciplina consentiens, eos illo vel breuissimo tempore ab nouo coniugio ineundo se continere.

Sess. 24. dec. de reform. matrim. c. 9.

Et quonia matrimonij libertas violari nullo modo debet, anathema, quod synodus oecumenica Tridentina ijs constituit, qui vi, metu, alioque modo liber-

tatem impediunt, ubi opus erit, euulga-bit: ut perspicue omnes intelligant, quam grauius peccent, qui hoc admittunt.

Hec etiam ut intra accurate cauebit. Non passim omnibus matrimonij contrahendi aditum patefaciet, quos ipse praesertim non norit.

Vagantium hominum, & peregrinorum matrimonium non facile celebrabit, sed diligenti prius ex Concilij Tridentini praescripto inquisitione facta, & testimoniorum, quibus legitime de illis testatum fuit, cautione studiose adhibita, reque omni ad Archiepiscopum delata, ac facultate celebrandi matrimonij ab eodem impetrata. Quam cautionem eo diligentiore tunc adhibebit, cum parochia sua eo loci est, quod diuersarum nationum, praesertim hereticorum, aliorumve, cum quibus contrahi nefas est, concursus sit: aut propius abest a regionibus ipsorum hereticorum.

Si vero agatur de contrahendo matrimonio cum persona quae in locis hereticorum habitat, vel ubi hereticorum more viuere licet; ne ad secundam denunciationem Parochus veniat, neque alio modo in ea se progrediatur, nisi prius nomen, & cognomen personae quae in ipsis locis habitat, Archiepiscopo denunciarit; & ab eo facultatem progrediendi impetrarit ex Conc. Prouinc. 2. Neque praeterea facile matrimonio eos coniungat, qui coniuncti, cum fuerint aliquandiu absentes, obijisse rumor est, nisi certam exploratamque obitus notitiam habuerit, & ut constat. Clem. 3. cautum est, certius nuncius de morte allatus sit.

Decr. 25. pa. 64.

De Parochi diligentia in denunciationibus, alijsque.

**A**NTEQVAM matrimonium celebraret, tres denunciations ad Concilij Generalis, & Lateranensis, & Tridentini praescriptum, tribus continuis festis diebus, & de Ecclesiae precepto celebradis, publice in Ecclesia etiam vtriusque, si diuersae Parochiae contrahentes sunt, inter Missarum solennia faciet: nisi aliquando Archiepiscopus ex eiusdem Concilij Tridentini decreto aliter iusserit. Denunciationem vllam ne remittat, nisi ex facultate ipsius Archiepiscopi.

Later. 2. ca. 51. Trid. vsup. c. 1.

Ibidem.

Antea

Antea verò quàm matrimonium denunciet, cognoscat quales sint, de quorù contractu agitur: an græte legitima, qua conditione, an aliquo propinquitatis gradu inter se coniuncti, quo contrahere non possint.

Quamobrem cum accuratè studioseque norit canonica impedimenta, & quæ futurum matrimonium impediant, & quæ contractum dirimant: tum etiam illa aliquando, prout vsu venerit, diligenter exponet, cum multa ea sint, quæ tamen breui enumerantur his versibus.

Error, conditio, votù, cognatio, crimen. Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, hone stas,

Si sis affinis, si fortè coire nequibus.

Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.

Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Atque in his quidem rationem habebit impedimenti ex fornicatione contracti, de quo in sacro Concilio Tridentino cauetur.

Gradus item consanguinitatis, & affinitatis benè notos habebit: & quo gradu contrahi liceat, id etiam rectè sciet, atque adeo interdum prout occasio tulerit, accuratè exponet ex Concilio Tridentino, & probatis doctrinis.

Matrimonium præterea gradu prohibito contrahi ita non licere ostendet decreti Tridentini auctoritate; vt scienter contractum, etiam separari, & spe dispensationis consequendæ carere debeat; quin etiam pœnam excommunicationis latè sententiæ eos subire, qui scienter ita contraxerint ex clem. const.

Spiritualis quoque cognationis impedimentum, & nosse, & enunciare aliquando debet, vt declarauit sacra Tridentina Synodus: quæ in Baptismo, baptizantem, & suscipientes, cum baptizato, eiusque patre, & matre; in Confirmatione verò patrinum item & confirmantem cum confirmato, & parentibus itidem illius hanc cognationem spiritualemente contrahere definiuit; omnibus inter alios huiusmodi cognationis impedimentis omnino abrogatis.

Antequam denunciet, primùm à marito & femina Parochus exquirat, an matrimonij quod inter eos tractatur, denunciationes fieri placeat; & an sponte & liberè ad eam rem veniant: & omnino antequam denunciationes inchoet, habeat consensum eorù qui contracturi sunt: & si in diuersis parochijs illi habitant, vtriusque item Parochus hoc ipsam feruet. Neque matrimonium alter Parochus denunciet, nisi ab altero Parocho certior factus sit de postulatu, aut consensu illius, qui eius est curæ subiectus.

Qua in re caueat, ne dum matrimonij denunciandi tantummodo voluntatem eorum notam exploratamque; inuestigando habere vult, ea inuestigatione matrimonij, aut sponsalium consensum exquirat. Itaque de statibus solum denunciationibus explicatè ac distinctè, separatimque; ab vtroque perquirat, idque à femina loco honesto, & in propinquorum conspectu; ita tamen, vt ne quilibet audiat; neque ita propè sit, vt illa præ pudore, vel alia causa minus liberè animi sui voluntatem exprimere audeat.

Si verò filij familias sunt, conuenit etiã, vt seiscitetur, de parentumne voluntate, an contra, iniri sint matrimonium. nã quamuis eorum consensus necessariò nõ requiratur; si tamen contra faciunt, causam perquiret: quæ cognita, illos cohortari paternè non desistet, vt parentibus in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, vt scilicet illis ne in seipsis quidem, nedum inuitis, rem tanti momenti aggrediantur: nisi fortè parentes futurum matrimonium malitiosè impediant.

Monebit præterea eosdem separatim, vt videant, ne matrimonium quod inter se contrahere volunt, aliquid impedimentum sit.

Eos itè graui cohortatione diligenter moneat vt ante denunciationes orationibus se muniant, remque totam precibus piorum, sanctisque sacrificijs commendent: tum ad matrimonium deinde in eundem ieiunijs, orationibusque; se parè; sicque; contra spirituales nequitias, & carnis procacitatem sanctè muniti, salutem & gratiam Dei ex eo Sacramento vberiorensibi comparare studeant.

Denun-

Vt sup. ca. 4.

Cap. 7.

Cap. 1.

Denunciaciones ipsas, pronunciato Euangelio, aut concione absoluta, Parochus ad populum conuersus faciet in hanc sententiam.

Formula di denonciare il Matrimonio.

Si notifica alle carità vostre, come N. figliuolo di N. della nostra parochia, è con l'aiuto, & gratia di Dio per far matrimonio con N. figliuola di N. della parochia medesima nostra. Però se alcuno di voi sapelle, che tra di loro fusse impedimento alcuno di parentela, ouero di cognatione spirituale, che nasce dal Battefimo, ò dalla Cresima, ò altra prohibitione; ouero impedimento, per il quale non potessero insieme far matrimonio; venga, come è tenuto in coscienza, à notificarlo à me curato quanto prima; auuertendo, che si come ciascuno è tenuto notificare l'impedimento, che fa; così dee guardarsi di notificarne alcuno falsamente: che oltre al graue peccato che commetterebbe, ci è ancora la pena della scomunica. & questa è la prima nostra monitione.

Ita dicit Parochus, si fuerit prima denunciatio: si fuerit secunda, ita dicit: E questa è la seconda nostra monitione: Si fuerit tertia denuntiatio, sic dicit. Questa è l'ultima, e perentoria monitione.

In denunciatione hoc animaduertet Parochus, vt & nomen, & cognomen, & patrem, & parochiam contrahere uolentium nominet; si pater decessit, dicat, Filius, vel filia quondam D. N.

Si interea dum denunciaciones sunt, aliquod impedimentum certum patefiet, constiteritue; abstinebit à matrimonij contractione. Sin autem aliqua existet dubitatio, ambiguitasue, aut probabilis suspicio impedimenti alicuius: de re tota Archiepiscopum certiore faciet, nihilque pretereā agat, nisi de illius mandato. Si uero nullum patefiet denunciabiturque impedimentum, sed adhuc aliqua suspicio subesse potest; ipse Parochus per se diligentius inquiret, an aliquod huiusmodi impedimentum matrimonio obstat: & quod cautius id agat, cum uiro & muliere, de quorum matrimonio agitur, aut cum eorum parentibus seorsum colloquetur; grauiusque monebit; vt li-

berè dicant si cuius rei conscijsunt, quæ matrimonio contrahendo legitimum impedimentum afferre possit.

Si probabilis dubitatio impedimenti sit, siue ex uerbis eorum qui contracturi sunt siue aliunde; superfedeat, & conuolat Archiepiscopum, aut eius Vicarium. Multo magis si fama impedimenti oriatur, aut testis aliquis etiam unicus de impedimento affirmaret.

Si uero nullum impedimentum appareat; tunc matrimonium denunciare, & celebrare pergat: caueatque; nè sine causa procrastinet.

Si quem item malitiosè falsum aliquod impedimentum attulisse animaduertent, quò matrimonium impediret; non propterea (re tamen bene cognita) desistet à denunciationibus, & celebratione matrimonij.

Matrimonij denunciationibus factis, si forte accidit, vt illud duorum mensum spatio non contrahatur; nè illud celebret, nisi ritè repetitis denunciationibus: si tamen Archiepiscopus aliud non concesserit.

Quo die denunciatio ultiima facta est, ne ipso die, nisi impetrata ab Archiepiscopo facultate Matrimonium celebretur: nisi ea denunciatio facta sit pridie illius diei, quo est initium Quadragesimæ, uel Aduentus: hortetur uero, vt in alterum, aut tertium, aliumue diem differant; utque interea orationi frequentius vacent, Missamque de Spiritu Sancto cum oratione de Beata Virgine, aut alia, ut est in Missa pro faciendo Matrimonio, pro se celebrari deuotè curent.

Monebit coniuges uehementer, vt ne ante Matrimonij celebrationem copula utantur, neque simul habitent, aut aliquod commercium habeant: simul denunciants, grauissimis decretis secundi & sexti Concilij illius peccati absolutionem Archiepiscopo esse reseruata, eique grauem poenitentiam esse decretam. Monebit item hortabiturue, vt eadem caueant, antequam benedictionem in Ecclesia susceperint.

Agat omni cohortatione cum sponsis, vt ad Matrimonij celebrationem ne accedant prius, quam peccata diligenter confessi, sacram Communionem sumps-  
rint;

rint; saltēq; triduo ante Matrimonij consummationem. omniuo autē & ieiunio, & alijs pijs preparationibus; ad huiusmodi sacramentū pura mente accedant.

Vt item die Matrimonij celebrationis & benedictionis, ad Ecclesiam accedat omni vestīū moderatione, dignaq; sanctitate Christianæ religionis: ita vt quātō generis claritate illustriores sunt, tantō studiosius in luce omnium splendescant virtute præcellentis; quæ Christianæ nobilitatis propria, in abiiciendo seculi luxu, fugiendisq; barbarici vestitus sumptibus maxime elucet.

Vtrem omnem deprauato vsu introductam profanamve in sancta Matrimonij sui celebritate caueant: vt olim fuit bibendi, cyathi ve frangēdi corruptela.

Ne Matrimonio quempiam iungat, qui illud contrahere attentarit sine Archiepiscopi concessu; nisi delictum ita occulte sit admissum, vt nullum eius rei extet legitimum indicium.

Ne solennes nuptias sinat celebrari, nisi post diluculum postridie illius diei, qui postremus est temporis, quo nuptiarum celebritas iure sacrorum canonum, & ritu huius Ecclesiæ interdicta est.

Ne eodem tempore permittat sponsam domum traduci, aut nuptialia conuiuia celebrari: monens, poenam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurri ab iis, qui contrafecerint.

Omni autem tempore curet ea celebrari, quemadmodum modestiæ Christianæ conuenit.

Moneat quādoq; fideles sibi commissos, de grauissimo, eorum scelere vitando, qui ad res matrimoniales impediendas veneficijs fascinationibusve vtuntur: doceatq; eos poena excommunicationis latae sententiæ esse irretitos: & eos item, qui in soluendis ijs veneficijs verba improbata, & superstitiosa adhibent, ex Conc. quinto.

Tit. quæ ad  
matrim. pt.  
§. Tridenti-  
na. p. 287.

Qui ad Ecclesiam sponsoſ deducturi sunt (qui paranymphī dicti sunt) ij sint ætate prouecta, & morum grauitate præditi, & plerūq; eorū p̄p̄inqui, & parētes Velatam sponsam deduci monebit, cūm ob decentiam, Apostoliq; præceptum; tū ob significationem subiectionis erga vi-  
rum:

rum: Rebecca etiā exemplo, quæ vt sponsum conspexit, pallio caput velauit. Gen. 24.

Mane celebrabit, non à prandio: nec vērō vnquam noctu.

In Ecclesia item Parochiali ante Altare maius: neque alio loco, aut alia Ecclesia.

Si domi aliquando fieri ab Archiepiscopo concedatur; id fiet loco eius decentiori, vbi sit item sacra imago, alijs profanis reiectis.

Meminerit; præter ipsius Parochi præsentiam, duorum etiam vel trium testū præsentiam necessariam esse, ex Trident. decreto.

Ne Matrimonio iungat, qui Doctrinæ Christianæ rudimenta ignorant. Vbi sup. c. l.

Quomodo in Matrimonio sit versandum, & moriendum.

**Q**UOD ad illam partem pertinet, quomodo in Matrimonio vt versandum: docebit opportuno tempore Parochus officia erga vxorem, rursusq; vxoris officia erga virum.

Monebit, vt incommoda Matrimonij patienter ferant, contenti ea, in qua vocati sunt vocatione.

Quam diligenter etiam fidem, quam sibi mutuam præstiterint, inuiolatam seruent vsque ad mortem.

Quam seipſos inter se vnice diligāt sancto cordis affectu, ita vt nefarijs aliorū amoribus non capiantur, nec thorū maritalē inquinent.

Parum matrimonium sit, & ab obscenarum cupiditatū contagione liberum, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Cūm enim Matrimonium à Deo institutum sit, præcipue ad sobolem procreandā, quæ sancte educetur; sancte illo vti debent: vnusquisq; sciat, vt Apostolus monet, vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum: non enim vocauit nos Deus in immunditiā, sed in sanctificationem.

Vt illud meminerint Apostoli, quod mulier sui corporis potestate nō habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Vt in magnis anni solennitatibus, diebusq;

busq; Dominicis, ex Nicolai primi re-  
scripto; diebus ieiuniorum, & certo tem-  
pore orationi assignato, & quibus Eu-  
charistiā sumpturi sunt, sumplerintve,  
à copulatione, actūq; matrimonij, quan-  
tum possunt, de communi consensu ab-  
stineant.

Vt cum vxor grauida est, frequentius  
ambo in oratione precibusque versen-  
tur, quibus à Deo prolem optimam im-  
erent.

Vt ubi liberos susceperint, nihil potius  
curent, quam vt in timore Dei, & disci-  
plinæ Christianæ institutis educant, &  
conformant ad præscriptum instructio-  
num eo nomine editarum.

Vt rem familiarem modis nefarijs nul-  
lo modo augeant; neque studeant locu-  
pletiores fieri cum offensione Dei, & in  
iuria proximi.

Vt patrum familias instituta exequantur  
libro instructionum explicata.

Sed vberiore etiam cohortandi mate-  
riam Parochus sumet ex sanctis preca-  
tionibus, quibus in nuptiarum benedi-  
ctione mater Ecclesia vtitur.

De alia verò parte, qua scilicet ratione  
in Matrimonio moriendū sit; hæc doceat.

Primum, vt in ægrotatione, sicut in om-  
ni alia re necessaria, sibi mutuam opem  
ferant, atque succurrant omnibus offi-  
cijs, quæ cum ad corporis curationem,  
tū in primis ad animæ salutē pertinent.

Vt propterea in ægrotatione nullum al-  
ter alteri præstet impedimentum, quo-  
minus continuam habeat Dei memoriā:  
immo verò potius sese mutuo consolentur  
salutaribus consilijs; ac cohortentur,  
aliosq; item hortatores adhibeāt,  
vt sanctissima sacramenta, penitentiam  
scilicet, & Eucharistiā, & Extremam  
vñctionem in tempore suscipere ægro-  
tus curet.

Vt liberos etiam suos piè, ardentisque  
charitatis studio admoneat, instruatq;  
ad vitæ Christianæ rationes. Et verò vi-  
tia, quibus potissimum illos deditos esse  
animaduertit, vehementer obiurget.  
Demum benedicat exemplo sanctissimo-  
rum patrum.

Vt domui suæ bene disponat, & testa-  
mentū rectè conficiat, præsentē et patre  
spirituali: de cuius consilio in testamēti

etiā factione remedia q̄rat animæ suæ.  
Vt in extremo etiam illo spiritu sese ala-  
criter in Domino confirmet ad mortem  
suscipiendam, exspectans post separatio-  
nem huius vitæ mortalis coniunctionē  
perpetuam in vita sempiterna.

Sed vberiore præterea cohortandi ma-  
teriā Parochus sacerdosve sumet, prout  
sponsorum conditio poscere videbitur.

De benedictione nuptiarum.

**D**OCEBIT Parochus opportunè,  
quanti benedictio nuptiarum fa-  
cienda sit: quæ vt S. Augustinus ait, in  
paradiso initium habuit, quamq; S. Pa-  
tres maximè commendarunt.

Item de pœna suspensionis ipso facto  
illi ex Conc. Triden. incurrenda, qui spō-  
sos benedicit sine proprii Parochi, vel  
Ordinarij licentia, sicuti qui matrimo-  
nio coniungit.

Benedicet autem semper Missa celebra-  
ta, cui sponsi ipsi interfunt.

Caveat autem, ne quando coniuges in  
primis nuptijs benedictionem accepe-  
rint, eos in secundis benedicat; siue mul-  
lier, siue etiam vir ad secundas nuptias  
transeat: si verò ea consuetudo vsquam  
est, vt si mulier nemini vnquam nupsit,  
etiam si vir aliam vxorem habuerit,  
nuptiæ benedicantur, eā vt edum est. Sed  
viduæ nuptias non benedicat, etiam si  
eius vir nunquam vxorem duxerit.

Contracto Matrimonio, Parochus eo-  
dem die quo illud contraxerit, celebra-  
ueritve, si mane poterit, sponsum spon-  
sāq; benedicet: alioquin alio festo die,  
& triduo, vno ve saltem die ante cōsum-  
mationem matrimonij id fieri curabit.  
Nuptiarum benedictionē, si tempus da-  
tur, die festo præcedenti denunciabit;  
idq; populum grauitè monebit, vt spō-  
sis à Deo gratiam celestium benedictio-  
num præcetur; quibus per fusi, matrimo-  
nium sanctè tractent, salutareque inde  
fructus capiant.

#### ORDO

Celebrandi Matrimonium.

**P**arochus matrimonium celebratu-  
rus, superpelliceo stolaq; pro tem-  
pore indutus, in limine Ecclesiæ, aut an-  
te altare sponso aqua benedicta pri-  
mum

mum asperget, vno aut duobus clericis adhibitis superpelliceo item indutis: quorum vnus librum, alter vas aque benedictæ cum aspersorio habebit.

Deinde, vbi ante altare sponsam, eiusq; parentes propinquoſve ad sinistram; sponſum verò cum eius parentibus propinquoſq; item ad dexteram collocauerit; ipſe Parochus sermonem habebit de vi, ſanctitate, & cæremonijs huius ſacramenti, augetiam de tribus illis capitibus, quæ principio propoſita ſunt: quo ſcilicet modo matrimonium contrahendum, quomodo in eo verſandum, & moriendum.

Abſoluto ſermone, præſentibus propinquoſ, & alijs pluribus, hoc ipſos ſponſos admonet, vt eorum vterq; ſigillatim nominatimq; interrogatus, ore, atque explicatè interrogatiõni reſpondeat, animoq; conſentiat: ſi verò quis eorum mutus eſt, aperto nutu, certoq; ſigno conſentiat. Sicq; primò ſponſum, deinde ſponſam, nomine, titulove, pro ratione conditioneq; perſonæ interrogat his verbis, vulgariter tamen prolatis.

N. vis accipere, & iam nunc accipis N. hic præſentem in tuam legitimam vxorem, ſicut præcipit ſancta mater Eccleſia?

Vbi ſponſus explicatè reſponderit, Volo, & accipio aut, Ita Domine, tunc ſponſam interrogabit.

N. vis accipere, & accipis N. hic præſentem in tuum legitimum maritum, ſicut præcipit ſancta mater Eccleſia?

R. Volo, & accipio, aut, Ita Domine.

Quibus conſentientibus, Parochus dicit hæc verba Euangelij.

Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Interea ſponſi genua ſectunt, & Parochus dextera ſua ſponſi dexteram prehedit, & ad ſignificationem vinculi fideiq; coniugalis imponit manui dexterae ſpõſæ: ſummitatesq; ſtolæ in modum Crucis imponit ambabus ſponſorum manibus, & apertè dicit:

Ego auctoritate ſanctæ matris Eccleſiæ, qua fungor, coniungo vos in matrimonium, ter ſignum Crucis ſuper vtrunque faciendõ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. R. Amen.

Deinde aqua benedicta eos aſpergit, dicens.

Per aque benedictæ aſperſionem, det vobis omnipotens Deus ſuam gratiam, & benedictionem.

De benedictione anuli.

Quibus peractis Parochus benedicit anulum a ſponſo datum Acolutho, qui illum in pellicula rectè collocatum benedicendum offert.

Parochus dicit.

Deus in Adiutorium meum intende.

R. Domine ad adiuuandum me feſtina.

V. Gloria patri, & c. Sicut erat, & c.

Haleluia, Kyrie eleiſon. ter.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum ſpiritu tuo. Oratio.

**B**enedic quæſumus Domine anulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus; vt qui eum portauerit, in tua pace conſiſtat, & in tua voluntate permaneat & in amore tuo viuat, & ſeneſcat, & multiplicetur in longitudinè dierum. Per Dominum noſtrum, & c.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde aſpergit anulum aqua benedicta; poſtea illum ſumit, & tradit ſponſo, qui digito quarto anulari ſiniſtræ manus ſponſæ cum imponit, dicente Parocho, ac ſemel ſignum Crucis faciente.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. R. Amen.

Fit autem hoc ad ſignificandum, quod eo pignore ſponſorum corda iunguntur: nam & in eo digito vena quædam eſſe dicitur, quæ ad cor vſque peruenit. Mox dicit.

V. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

R. A templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalem.

V. Domine exaudi orationem noſtram.

R. Et clamor noſter ad te perueniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum ſpiritu tuo. Oratio.

**R**eſpice quæſumus Domine hanc coniunctionem, & bene dicere digneris hunc famulum tuum, & hanc famulam tuam, quatenus inuiolatam ſibi inuicem fidem perpetuò ſeruantes, tibi valeant adherere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & c.

V. Do-

¶ Dominus vobiscum.  
 R. Et cum spiritu tuo.  
 Kyrie eleison. ter.  
 ¶ Benedicat, & exaudiat nos Deus.  
 R. Amen.

¶ Procedamus cum pace.  
 R. In nomine Christi.  
 ¶ Benedicamus Domino.  
 R. Deo gratias.

Matrimonio ritè celebrato, Parochus paternè spòs monebit, Christianos decere, in ea celebratione à saltationibus choreisq; abstinere, vt canone cautiest. Notabit verò ipse quàmprimù in libro Parochiali matrimoniorù proprio nomina coniugum, & testium, diem prætere, annum, & locum cõtracti matrimonij ex formulâ præscripta: quem librum apud se accuratè custodiat.

**ORDO BENEDICENDI**  
 sponsum & sponfam.

**S**ponsus & sponsa ante consummationem matrimonij peccata cõfessi, veniunt statuto die in Ecclesiâ parochialem sponse: vbi loco decenti Missam genibus flexis audiunt. Parochus autem, sacerdosve pro sponis Missam celebrat, vt in Missali, nisi celebranda erit de Dominica, aut de sancto: tuncq; sit commemoratio pro sponis.

In Missa datur pax sponso primùm, deinde sponse, præbetur etiam sacra cõmunio sponis.

Celebrata Missa, & deposita planeta, & manipulo, Parochus ante altare sponis genuflexis dicit.

¶ Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria Patri. &c. Sicut erat. &c.

Haleluia. Kyrie eleison, ter.

¶ Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo. Oratio.

**D**eus, qui de potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, & depositis vniuersitatis exordijs, homini ad imaginem tuam facto ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti, vt femineo corpori dares de virili carne principium: docens, quod ex vno placuisset institui, nunquam licere disungi. Deus, qui tam excellenti mysterio coniugale copulam consecrasti, vt Christi & Ec-

clesiæ sacramentum præsignares in federe nuptiarum. Deus per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiam.

Respice propitius super hanc famulam tuam quæ maritali iungenda consortio, tua se experit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis, & pacis: fidelis, & casta nubat in Christo: imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. sit amabilis vt Rachel viro suo; sapiens vt Rebecca: longæua, & fidelis vt Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor præuaricationis vsurpet: nexa fidei, charitatisque vinculo, permaneat vni thoro iuncta; concubitus illicitos fugiat; muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cõlestibus erudita: sit fecunda in sobole, sit probata, & innocens; & videat filios filiorum suorum vsque in tertiam & quartam generationem, & ad optatam perueniat senectutem; & demum ad beatorum requiem, & ad regna perducatur cœlestia. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

¶ Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Deinde Parochus cum clerico dicit Psalmum. 127.

Beati omnes qui timent Dominum, &c. vsque ad finem.

Gloria patri. &c. Sicut erat, &c.

¶ Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

¶ Saluos fac seruos auos.

R. Deus meus sperantes in te.

¶ Mitte eis domine auxiliũ de sancto.

R. Et de Sion tuere eos.

¶ Domine exaudi orationem nostram.

R. Et clamor noster ad te perueniat.

¶ Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo. Oratio.

**D**eus Abraam, Deus Isaac, & Deus Iacob sit vobiscum: & ipse adimpleat benedictionem suam in vobis, vt videatis filios filiorum vestrorum vsq; ad tertiam, & quartam generationem. Et postea vitam æternam habeatis sine fine, adiuuante Domino nostro Iesu Christo,